



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

Hic primus & principais articulus est, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

**SECUNDA**  
**PARS EST DE ARTI**  
**CVLIS, QUI OFFICIVM EI**  
**OPUS IESV CHRISTI, siue redem-**  
**tionem nostram con-**  
**cernunt.**

*Hic primus & principalis arti-*  
*culus est,*



**Q**UOD IESVS CHRISTVS Deus &  
 Dominus noster, sit propter pec-  
 cata nostra mortuus, & propter  
 iustitiam nostram resurrexerit  
 Rom. 4.

Et quòd ipse solus sit Agnus Dei, qui tollit  
 peccata mundi. Ioh. 1. Et quòd Deus omnia  
 nostrum iniquitates in ipsum posuerit  
 Esaia: 53.

Omnes peccauerunt, & iustificantur gra-  
 tis absque operibus seu meritis proprijs, &  
 ipsius gratia, per redemptionem, quæ est in  
 Christo Iesu, in sanguine eius, Rom. 3.

Hoc cum credere necesse sit, & nullo opere, lege,  
 merito acquiri & apprehendi possit, certum est & ma-  
 nifestum, solam hanc fidem nos iustificare, sicut Paulus  
 Rom. 3. inquit: Statuimus, iustificari hominem per  
 fidem absq; operibus legis. Item, Vt sit ipse iustus &  
 iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.

De b

De hoc articulo cedere, aut aliquid contra illum largiri aut permittere nemo piorum potest, etiam si cœlum & terra, ac omnia corruant. Nō enim est aliud nomen hominibus datum, per quod saluari possimus (inquit Petrus Actorum 4.) Et per vulnera eius sanati sumus, Esa. 53. Et in hoc articulo sita sunt & consistunt omnia, quæ contra Papam, diabolum & vniuersum mundum in vita nostra docemus, testamur & agimus. Quare oportet nos de hac doctrina esse certos, & minime dubitare, alioquin actum est prorsus, & Papa & diabolus, & omnia aduersa ius & victoriam contra nos obtinent.

## II. *Articulus de Missa docet,*

**Q**UOD Missa in Papatu sit maxima & horrenda abominatio, simpliciter & hostiliter è diametro pugnans contra Articulum primum, quæ tamen præ omnibus alijs Pontificijs idolatrijs summa & speciosissima iuit. Statuerunt enim, quod sacrificium istud seu opus Missæ, etiam ab impio ac perditio nebulone præstitum, liberet hominem à peccatis cum in hac vita, tum in purgatorio, cum tamen solus agnus Dei nos liberet, vt supra dictum est. Hic nihil permittendum, nec cedendum est, quia prior articulus id non fert.

Cum sanioribus Pontificijs placidè hoc modo conferri posset. Primum, Quare tam rigidè Missæ patrocinium suscipiant, cum illa tantummodo sit hominum inuentum, à Deo non mandata sit? Hominum verò inuentiones tutò omittere possumus, vt Christus testatur Matth. 15. Frustra colunt me mandatis hominum.

Secundò, Res est non necessaria, quæ sine peccato & periculo omitti potest.

Tertiò, Sacramentum meliori à Deo magis accepto, imò hoc solo accepto, salutari & beato modo